DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

PODAGRA JUNIORUM,

QUAM
AUSPICE DEO PROPITIO
ET CONSENSU ATQUE AUCTORITATE
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
PRÆSIDE
DN. D. MICHAELE ALBERTI
POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO
AULICO, MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS
PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ACADEM. CÆSAR. NAT. CURIOS. COLLEGA,
FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO
*DOMINO PATRONO, AC PROMOTORE SUO OMNI
HONORIS CULTU PROSEQUENDO,*

PRO LICENTIA

SUMMISQUE IN ARTE SALUTARI HONORIBUS, INSIGNIBUS
AC PRIVILEGIIS MORE MAJORUM SOLEMNI OBTINENDIS,
HORIS LOCOQVE CONSUETIS,
ANNO MDCCXXIII D. DEC.
PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET
RESPONDENS

JOHANN GEORG RICHTER

SORBIGA - MISNICUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis JOANNIS CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr.



PROOEMIUM.



Uanquam morbi vulgo pro confuſo, turbulento, pernicioſo, vitæ & ſanitati oppoſito habeantur hominis ſtatu, tamen attenta, judicioſa & à fœdis præjudiciis libera docimaſia plurimorum morborum indolem à plebejo & triviali illo falſo judicio liberabit, ut medico etiam ſenſu huc quadrare queat, *infirmitas non eſt ad mortem, ſed ad gloriam dei Joh. 4. v. 11.* Quemadmodum vero plurimi morbi deſtinatos ſuos habent fines, ita etiam multi illorum exacta ſua habent tempora, ut ex illo argumento rite & condigne perſpecto medicina omnino magnum poſſideat emolumentum, quo formalem morborum rationem penitius detegat & illuſtret: Hippocrati ſane multum honoris debemus, quod morbos per ætatem diſcrepantes ex fida obſervatione indicaverit, neque huic veræ & ſinceræ annotationi ſuas & forte quadantenus imperfectas & obſcuras cauſales deciſiones immiſcuerit, ſed verita-

 tem

tem facti bona antiqua fide proposuerit; cum sæpe in recentioribus ævis contingat, ut veritas facti cum falsitate causæ obscuretur, adeoque bonæ observationes cum splendidis theorematum commentis confundantur, ut exinde non nisi artificiosè mortificæ morborum tractationes medicæ, sive larvata & erudita homicidia aliquando emergere queant debeantque, cui adserto illud Celsi omnino favet, quod ille bene curet, qui bene cognoscit; & viceversa: sed quis propter hunc nævum utiles illas veterum observationes in eximium salubritatis vitæ animalis detrimentum falsis & sciolis illis contemplationum quisquiliis immersas esse patiatur, ni & Deo & proximo & medicæ arti interesse judicet, quo veritatem suæ luci & integritati restituere & minus sobrias contemplationes repurgare adjuvet: Honori itaque ducimus Viro de Medicina meritissimo Excell. D. D. Stahlio, quod ex antiquitatis ruderibus utilissimam hanc observationem de morbis certis ætatibus propriis, suæ antiquæ veritati & sinceritati restituere & sobriis, solidis ac medicis usibus respondentibus causis illustrare magno & egregio allaboraverit studio: Sane ante hunc de veritate medica sollicitum propterea que Clarissimum Virum nemo hanc observationem tanto judicii acumine & prospero successu illustravit; inde enim non solum genuini Morborum consensus inclarescunt, qui iterum in veritate facti fundati ac infallibiles sunt, sed & solida ac prudens causarum, vere medicarum, pendet connexio, ut haud necesse sit ad frivola quædam asyla confugere,
sed

ſed proximas, evidentes, ſanas & homini apprime quadrantes cauſas attento & à præjudiciis repurgato animo concernere & applicare interſit: Quam parum enim ad ætatum morbos, ſobria ratione explicandos, conferant nudi reſpectus phyſico-mechanici, aut ex nudis materiarum viribus, legibus, niſibus, elateribus, potentiis, motricibus facultatibus, actionibus, reactionibus, impulſibus, nexibus, dependentiis, relationibus &c.: petiti, conquiſiti, contorti & corraſi, vel ipſa ſuperficiaria phænomenorum medicorum teſtatur contemplatio: Ex hoc enim fundamento notitiæ morborum, per ætates variantium, fluunt etiam veritates medicæ, quæ morborum conſenſum, conſecutionem, reiterationem, congruam & incongruam indolem, ex parte etiam complicationem, ſubinde vero rationalem & formalem ſtatum aperiunt ac deſignant: & ſi juxta *Hieronymum morbus* reſpectu individui aut ſubjecti, cui inhæret, *lapis lydius eſt, examinator virtutis, ſcrutator conſcientiæ, excitator pœnitentis animi, monitor æternitatis,* ita ſane de morbis ætatum prædicari poteſt, quod lapis lydius exiſtant, examinator judicii practici, ſcrutator ſcientiæ medicæ, excitator negligentis animi, hiſtoriam & obſervationem medicam vel parvi pendentis, vel confuſe & præjudicioſe tractantis, monitor denique magis ſollicitæ conciliationis, illuſtrationis & applicationis Hiſtoriæ morborum à veneranda antiquitate cum multo artis Medicæ emolumento commendatæ: Inter illos vero morbos, qui ſolennes & diſtinctas ætatum periodos ſervare ſolent,

est ſane celebre illud Medicorum ſcandalum, videlicet Podagra, quæ cum in ſimplici & congrua ſua qualitate tantas Medicis ſtruat vexas, ut ſi non in theſi,ſed in opere promiſcue Podagram percurare integrum eſſet, vel ſolus Podagriater ſuo officio ſatis facere queat, ut pluribus intentus eſſe haud teneatur: ſed dum ſimplex Podagræ ſtatus tantas Medico extroquet curas, quid non incongrua illius efficiat diſpoſitio? Eminens hujus incongruæ invaſionis character eſt, quando præmature ipſa homines corripit & ominoſiores tragœdias ludit, ut propterea ipſi Medici de talibus Podagricis perquam ſint ſolliciti: quid enim dicamus de Podagra Puerorum aliorumque junioris ætatis hominum, cum lippis atque toſoribus jam notum ſit, quod hæc afflictio adultioribus magis congrua & adæquata ſit; ſed cum exempla non deſint, quibus manifeſtum evadit, quod hic etiam morbus interdum anticipet, ita Medici omnino ſtudium eſſe debet, quo non modo certitudinem facti, ſive fidem hiſtoricam in hac obſervatione teſtetur, ſed & ut veras & perſpicuas hujus anticipationis cauſas indicet, quid ex hoc inverſo & incongruo morbi proceſſu exſpectandum metuendumve ſit, ſignificet & quibus auxiliis huic præcipitato affectui ſubvenire conveniat, commemoret; & dum nobis Inaugurali ſpecimine ſelecta quædam conſideratio medica commendanda & explicanda incumbit, ita de PODAGRA JUNIORUM brevibus diſſerere propoſuimus: Adſit noſtris conatibus divina gratia, quo ſalutarem ſcopum gloriæ Dei impetrandæ & emolumenti proximi acquirendi aſſequantur.

§. I.

§. I.

Morborum *differentiæ* multiplices quidem ſunt, inter haſce vero illa etiam *eminens* & notatu digna eſt, qua alii morbi *Juniores*, alii viciſſim *ſeniores* corripere obſervantur homines, ubi tamen illa *ominoſa* interdum occurrit *inverſio*, ut quoad morbos ſenes *repueraſcant*, pueri vero *ſeneſcant*, quæ *ætatum confuſio*, uti omnibus quoad *diverſas* circumſtantias *ſuſpecta* eſt, ita *medicis* perinde non aliter niſi *præjudicioſa* eſſe poteſt, eadem morborum vel *anticipatio*, vel *retardatio*: Prioris claſſis eſt *Juniorum Podagra*, quæ à *primis* Medicinæ ævis non niſi *paradoxa* & *incongrua* fuit, ut propterea *Hippocrates ſect. 6. aph. 30.* ex ſua obſervatione ſignificaverit, quod *pueri ante veneris uſum non tententur podagra* & *Galenus* in hunc locum commentetur, *evnuchos vidimus quosdam podagricos laborantes, pueros autem non vidimus*; quam *Hippocratis* obſervationem etiam *Celſus lib. 4. c. 24.* proponit: *Hollerius* vero excipit illos, qui ex *hæreditaria* diſpoſitione podagram accipiunt & *Heurnius* propterea exiſtimat, quaſi per *contagium*, velut venereum, aut *inſtar* hujus infectionis, podagra per *hæreditatem* communicetur, quoniam Hippocrates adſeveravit, quod *ante* veneris uſum *puer* podagram non experiatur, quæ ultima tamen argumentatio valde *infirma* & *vitioſa* eſt: *Waldſchmidius in Diſp. de Cura lactis Podagricorum Solatio* dicit *cap. 1. Hippocratis noſtri effata - - hodierno tempore veritate exciderunt: dum luxuries puerorum & mulierum Hippocratem fecit mendacem; quibus motus Gordonius in ſuo lilio medicinæ particularis in hæc erumpit verba: Summatim aliter vadit negotium, quia & evnuchi & mulieres & omnis ſexus & omnis ætas propter malum regimen podagrizant. conf. Schenkius Obſ. Medicin. Lib. 5. de Arthritide obſ. 1. Podagram nonnunquam populariter graſſari & contra divini Hippocratis ſententiam, etiam pueros,*

evnu-

evnuchos, virgines & mulieres ea corripi: ita præcedentibus testimoniis applaudit *Sydenhamius in tract. de Podagra Opp. p. m. 459. non quod Podagra eos solum adoriatur qui crasso & corpulento habitu donantur, cum aliquando etiam etsi rarius, graciles & macilentos invadat: neque quod hic morbus in omnibus senium præstoletur, quandoque enim etiam ætate florentes corripit, quoties scilicet infelicia semina à parentibus, quasi ex traduce acceperint &c.* ita varii probatissimi viri *Podagram* in *junioribus* subjectis annotarunt, velut *veritas* hujus observationis ex consequentibus magis inclarescet: quod vero secundum *Hippocratis sensum* pueri non corripiantur podagra ante veneris usum, iterum *justa* interpretatione indiget, ne hic affectus tantum *venereo* exercitio adscribatur, siquidem à *nimia* quidem venere *podagram* provenire demonstrarunt *Glissonius Anatom. Hepat. cap. 45. p. 502. Warlitzius de Morb. bibl. cap. 12. p. 373. Liberatus de Liberat. Podagr. Politic. lib. 1. c. 5. lib. 2. c. 7. Cliftonus Wintringha. tr. de Podagra. Melchior Friccius Icon. Podagr. p. 75. 195. Bierlingius Thesaur. Theoret. Pr. Cas. 25. Schurigius Spermatolog. cap. 9. qu. 7. p. 448. seq. Baglivus, Sydenhamius, Sennertus, Waldschmidius* & multi alii; proinde tamen exempla constant, quod homines *casti* & ab omni venere *abstemii* nihilo minus *Podagræ* cruciatibus obnoxii fuerint, unde Hippocratis observatio aliqua limitatione & interpretatione indiget.

§. II.

Quando itaque de *juniorum Podagra* hoc loco nobis sermo est, tunc præsupponimus quod Podagra magis *consistenti, virili* & *senili* ætati propria sit & quod *legitime* intra *quadragesimum* & *quinquagesimum* ætatis annum invadere soleat subjecta; *juniorum* Podagra vero illa est, quæ à *vigesimo* ætatis anno homines corripit, graviterque postea affligit: de hac Podagra dicit *Baglivus Opp. Prax. Med. lib. 2. p. m. 193. quod pueris sunt exanthemata, juvenibus hæ-*

mor-

morrhagiæ, *idem sunt senili ætati articulorum dolores*, *quibus supervenientibus à magnis morbis liberant senes:* hinc vulgi dicterium innotuit: quod Podagra *post quadragesimum* annum invadens, *longævitatem*, *ante* illum vero corripiens, *brevitatem* vitæ designet: ipse *Hippocrates*, licet de *pueris* dixerit, quod *ante veneris* usum Podagra non corripiantur, tamen *Lib. II. Prædict.* §. 15. differentiam inter *Podagricos seniores* & *juniores* constituit: & licet *junioribus* hic affectus adeo *congruus* & familiaris haud sit, tamen illius observationis exempla etiam non sunt incognita in Praxi medica: quod vero Podagram *infantum* attinet, tunc hoc loco verba *Illustr. Stahlii è Disp. de Podagræ nova Pathologia* inserere & commendare lubet *p. 10. 11. quæ enim observationes de infantibus podagricis allegantur, inter rariores connumerandæ sunt & laborant suspicione certitudinis: cum quemlibet Rhevmatismum, aut similes affectus a febribus male solutis, a scabiosis inquinamentis retropulsis, a perfrigerationibus & particulari transspirationis defectu, imo interdum a distorsione, lapsu in coxas, ab epilepticis concussionibus &c. subnatas, pro Podagra interpretari, nostri non sit propositi: conf. Sydenhamius Opp. p. m. 465.* interea observatores talia specimina Podagricorum infantum proferunt: conf. *Salmuthus de Podagra in puella octenni Cent. 3. obs 53. de Arthritide puerorum & infantum A. N. C. dec 1. an 8. obs. 12. Bonetus Medic. Septentr. lib. 6. sect. 3. obs. 22.* ita dicit *Paschalius in Method. curand. lib. 1. cap. 16. Vidi quod Hipp. & Galenus non viderunt, nobilem videlicet puerum, septem aut octo annos natum, Vallesium, laborantem non tantum podagra, sed arthritide vere & auctumno, cui non fuit hæreditarius morbus articularis; & satis ille biliosus erat:* Dum itaque secundum *Sydenhamium*, *Baglivum* & *Stahlium* Podagra affectus *adultioribus* & *senectuti* propioribus, aut *senibus* magis *familiaris* est, ita vicissim *Juniorum* Podagra *præmaturus*, *præcipitatus*, *immoderatus* & valde *irregularis* est affectus, qui *gravioribus periculis*, quam

legitima Podagra ſubjectus exiſtit, id quo pluribus inferius ſignificandum erit.

§ III.

Quod itaque *Hiſtoriam* Podagræ in *junioribus* attinet, tunc *generalem* illius Hiſtoriam pro *fundamento* præſentis obſervationis ponimus, quam e prælaudatis Viris, videlicet *Sydenhamio*, *Baglivo* & *Stahlio* commendamus; *illa* tantum hoc loco proponemus, quæ ad *ſpecialem* illum reſpectum, quatenus hæc Podagra in *junioribus* occurrit, pertinent: quod enim *Baglivus Lib.1. de calculo & Podagra* dixit, quod plures *divites* & *ſapientes*, quam *pauperes* & *fatuos* podagra interficiat, quod *vinum*, *venus*, *otium* & *crapula* ſint primi parentes podagræ, idem etiam ad *præſentem* obſervationem applicari poteſt: quales circumſtantias ſatis eleganter & judicioſe illuſtrat *Caſp. Rejeſius Camp. Elyſ. juc. quæſt 88. cui titulus: an à lauta & opipara menſa in ſimplicem, frugalem ac pauperculum victum mutatio podagram curare valeat?* ubi hic author *n. 12.* dicit: *optat podagra bene edere, veſtiri commode, habitare late, cubare molliter, dormire ſatis, laborare nil & recreationibus vacare perpetuis; hinc ad divites cito convolat, à quibus non niſi acerbius tractata refugit:* de hiſce valet quod *Plato lib.3. de Republ.* profeſſus, *tales ſunt ſomnolenti, ſegnes, ignavi, vertiginoſi & in Podagræ domicilium apprime idonei:* ob id ab *antiquioribus* Arthritis & Podagra *Dea Miſopthocos* nuncupata conſtat, quaſi odio habens pauperes, cum ſit *Bachi* & *Veneris* filia, dicit *Rejes. l. c. n. 8.* proinde vero de ſubjectis *junioribus*, quæ Podagra corripiuntur, dicit prælaudatus *Celeb. Stahlius diſſ. de Podagra p. 11. qui ſinceriori podagra, adhuc juniores afficiuntur, ab aliquot ſupra viginti annis ad triginta, illi vel hæreditaria diſpoſitione præparati obſervantur: vel hæmorrhoidibus ante illud tempus manifeſto tentati fuerunt, ſimulque communiter animi vel admodum iracundi, vel gravibus terroribus perculſi, vel denique diæta vinoſa, vel ſpiritu*

vino-

vinoso gaudentes, deprehenduntur. Quando itaque secundum prædictas animadversiones in *junioribus* subjectis *speciales* & singulares illas qualitates perlustramus, quæ in tali *præmatura* Podagræ invasione concurrunt, tunc ex parte huc valet, quod *Nathan. Lacy in tr de Podagra* dixit, quod *Podagra nemini, nisi volenti injuriam faciat: conf. Act. Erud. Lipsiens. An 1694. Mens. Sept. p. 331.* quod videlicet illi, qui *bonis* consiliis auscultare *recusant* & *irregulari* vitæ addicti manent, etiam hisce *podagricis* cruciatibus submittantur: hinc *observatio* medica docet, quomodo *juniora* talia subjecta, *ante* Podagræ insultum *negligentiori* vitæ dediti fuerint, eximios *excessus* in *victu* & *potu* commiserint, *crapulæ* indulserint, *spirituosa* ultra modulum & proportionem *ætatis, temperamenti, sensibilitatis* & *consuetudinis* suæ ingesserint, inordinatis & immoderatis *animi corporisque actionibus* operam dederint, *castitatem* & puritatem vitæ & corporis *valde violaverint*, denique aliquando *proclivitatem* affectuum spasmodicorum ex *hæreditate* in se susceperint.

§. IV.

In Historica *Juniorum* Podagræ explicatione præter prædictas circumstantias, *subjecta* præcipue concernentes, adhuc *seorsim* notamus, quod hic affectus in junioribus admodum cum *hypochondriacis* afflictionibus conspiret, id quod satis solide annotavit *Excell. Stahlius in Pathol. Med. p. 1369.* & meretur proinde aliqualem attentionem *B. Wedelii in Am. Mat. Med. p. 65.* animadversio, quod *Podagricos* etiam *hypochondriacos* esse adseveret, ubi quidem nos aliquo modo quoad *veritatem facti* consentientes, quoad *respectum causæ* tamen dissentientes habet: Et ita *juniores* podagrici facilius præter reliquas suas *externas* vexas etiam *internas* afflictiones *Spasmodicas* experiuntur, unde *Baglivus Lib. 2. Opp. p. m. 192.* disserit: *admirandus quidam ac fere occultus est consensus inter articulos & intestina, quarum*

partium morbi vicissim commutantur: ita enim experientia docet, quod præter podagricos dolores frequentius in abdomine modo *colicæ*, modo *hypochondriacæ*, modo *nephriticæ* afflictiones, *concurrant*, aliquando *præcurrant*, interdum etiam *alternent*, præsentemque morbum tanto magis *ominosum*, *confusum* & in *periculosas palindromes* pronum reddant: Sunt insuper juniorum podagricorum dolores *ardentiores*, *vehementiores*, magis inquieti & exorbitantes, proclives in *arthritica Vaga* pathemata, faciles in concursus *febriles*, *orgasmos* sanguinis & semi *inflammatorias*, *rheumaticas*, *erysipelatodeas* pedum afflictiones: *plurima* proinde pathemata non modo *insolentiora* & *impetuosiora*, sed & magis confusa & *fugacia* existunt: ob id *præsentes* motus spasmodici *gradu* auctiores, imo quandoque à *convulsivis* motibus non penitus alieni existunt: superveniunt *periculosiores* obstructiones *alvi* & *urinæ*, cum *interno* suspecto *ardore*, *dolore*, *siti* & majori *inquietudinis* gradu; quidquod aliquando *irregulare* schema *febris* vel *quotidianæ* continuæ, vel *choleriodeæ* vel *ephemeræ* quotidianæ & *plurium dierum* coincidit: *intercurrunt* varia *molimina hæmorrhagica*, modo caput, modo hæmorrhoidalia loca infestantia: alternant alii *spasmi* & quidem affectus *arthritici*, *hemicranici*, *rhevmatici*, *nephritici* & *erysepelacei* cum spasmis conjuncti in aliis regionibus; concurrunt aliquando *cordis palpitationes* & *angustiæ præcordiales* insolitæ; *venæ inflantur* & ardor suspectus in illis persentiscitur: singuli dolores ad *sensum* sunt *acutiores*, interim *fugaces*, neque diu in *uno loco* subsistentes: proinde præter hanc fugacem spasmorum tragœdiam facile *inflammatoriæ*, *congestoriæ* & febriles commotiones coincidunt & alternant, ut propterea hæc juniorum Podagra haud procul à prosapia *acutorum* morborum existat.

§. V.

§ V.

Antequam vero ejusmodi Podagricus affectus juniora subjecta corripit, *præcedunt* utplurimum variæ *anomalæ* commotiones *hæmorrhagicæ*, præmaturæ *Erysipelaceæ* afflictiones, frequentes *rhevmatodeæ* calamitates, in junioribus ætatibus præcipitatæ *arthriticæ* vexæ, in infantili periodo insoliti *epileptici* insultus, in quibusdam aliis subjectis inopportunæ & obscuræ *tractiones* in *arthriticam* indolem abeuntes, in aliis inexpectata & præmatura *calculi* præludia & hinc pendentes afflictiones, *urinæ* excretionem comitantes, aut *alvinam* exonerationem stipantes; modo coincidunt tenesmi, modo *ardores*, modo *pruritus* in exitu ani, modo *protuberantiæ* suspectæ in locis *hæmorrhoïdalibus* emergentes, modo *pollutiones nocturnæ*, modo suspectæ spermatis expressiones sub duriori alvi exoneratione concurrentes, modo *stranguriæ* valde molestæ: Quando vero jam *perfecte* tales *Podagrici* cruciatus subjecta juniora corripiunt, tunc interdum *cholerici* affectus coincidunt, velut vomitus & alvi fluxus biliosi; proinde hi juniorum *dolores* podagrici *repente* sua subjecta invadunt, *subitoque* ad *vehementem* suum gradum pertingunt & hac ratione *semi acutam* suam qualitatem denuo produnt, cum vicissim *seniorum* Podagra *segniorem* invasionem & progressum servare soleat. *Pulsus* in hac juniorum podagrica calamitate præter suam duritiem & fortitudinem magis in *febrilem* qualitatem *accelerationis* & *frequentiæ* inclinat: Ipsi vero insultus podagrici in tali juniori ætate non modo quacunque sua *recursione* acerbiores & *graviores* evadunt, sed & *frequentius* contingunt & *leviores* causas sequuntur, ut propterea ejusmodi subjecta maxima *sollicitudine* sibi moderari teneantur, ne ex ullo errore & excessu huic præjudicioso & periculoso Podagræ recursui ansam præbeant: *Urina* juniorum podagricorum & *saturatior* & *rubicundior* est, quidquod *concretiones salinas* crystallinas rubicundas copiosiores continet

& deponit: usitatius etiam cum hoc affectu podagrico *nephritici* simplices videlicet inflammatorii, *congestorii* & *spasmodici* renum morbi concurrunt: non minus *juniores* podagrici, qui simul eminentius *hypochondriaci* sunt, acerbiores *vomitus*, graviores *cardialgias* & intercurrentia *ahstmata* flatulenta experiuntur: compatitur subinde diversis *morbidarum* afflictionum speciebus ferme *totum* corpus podagricorum juniorum, dum *spasmi* præsentes magis de *vaga* indole participant: unde *capitis* dolores sensibiliores mox concurrunt, mox oppressiones *pectoris*, mox *aliarum* regionum in corpore *dolorificæ* sensationes occurrunt: quid quod hi podagrici dolores sæpe cum aliorum locorum doloribus spasmodicis *alternant*.

§. VI.

Et has quidem *speciales* circumstantias in *Historica* juniorum podagricorum explicatione recensere placuit, posteaquam reliquas Podagræ proprias, *essentiales* & familiares qualitates è *generali* illius Historia conciliandas, hoc vero loco minime repetendas, comendaverimus: *Proximum* nunc erit, ut illa quæ ad *Prognosin* præsentis observationis pertinent, subjungamus: in præcedentibus indicatum fuit, quod qui in *juniori* ætate diro hoc affectu corripiuntur, rarius ad *longævitatem* pertingant, id quod suo suffragio testatur *Excell. D. D. Stahlius disp. de avtocrat. Naturæ p. 26. de Motu Hæmorrhoidum internarum p. 18. 19. de Podagra p. 17. 18. Patholog. med. p. 1369. 1372. 1373. Martinus Pansa in consil. antipodagrico, Helius Evbanus in Ludo de Podagra, Jul. Cæs. Claudinus in Consil. de Podagr. & Gonagra* Præterea sciendum quod, *juniorum* Podagra facile cum *funestis* & perniciosis *metastasibus nobiliores* & *interiores* partes invadat, hinc in internas *inflammationes*, hepatis, intestinorum, ventriculi, vesicæ urinariæ, renum &c.: convertitur, aut in *colicam convulsivam* mutatur, aut in periculosas viscerum nobiliorum *obstructiones* transformatur,

aut

aut in *vomitum cruentum*, *singultum lethalem*, *paraphreniti-den*, *apoplexiam*, *paralysin*, *lienteriam*, *fluxum hepaticum*, *febres acutissimas inflammatorias*, hecticam *præcipitis* funesti exitus, aut cum *acuto* typo colludentem, *icterum* cum *acuta* febre stipatum, *gangrænam* & *sphacelum* internum transfiguratur: *conf. Stahlius de Podagra p. 18. & Patholog. med. p. 1369. 1370.* Juniorum Podagra facilius in *acutos*, quam chronicos morbos delabitur: quo *citius* cruciatus podagrici *cessant*, eo magis *suspectus* est subjectorum status, quoniam *præceps* hæc conversio utplurimum *impetuosa* & in *nobilioribus* regionibus & visceribus magis *perniciosa* est: quando juniorum podagra ab *hæreditate* prævia dependet, ferè immedicabile non modo constituit malum, ut *Rhumelius* tradidit, sed & magis *acceleratas* infert consecutiones perniciosas: communiter *omnis* juniorum hominum podagra *nunquam periculo* vacat, sed facilius, certius & citius in graviora & *funestiora* pathemata delabitur: eo *periculosior* etiam est status in podagricis junioribus, qui simul *plethorici* sunt & ante hac vel *actualibus* Hæmorrhagiis vel *confusis moliminibus* hæmorrhagicis obnoxii fuerunt: quo magis *inordinatæ* & *immoderatæ* vitæ dediti fuerunt tales podagrici, eo *turbulentior* & *intricatior* hujus affectus status existit: uti *plethorici*, ita eminentius *sanguinei* & *cholerici* podagrici juniores magis *subitaneis* periculis expositi sunt: quo magis juniorum podagra *vagis* cum symptomatibus stipata est, eo citius in *funestum* exitum degenerat: quo magis *immoderati*, *luxuriosi*, inordinati & intemperantes tales sunt podagrici, eo citius & certius *infaustus* irruit exitus; quo *frequentius* in junioribus subjectis insultus podagici revertuntur, eo *certius perniciosus* eventus metuendus est: *utplurimum* hujus podagræ *retropulsio* est *funesta:* quando vero vel exquisitè *ordinatæ* vitæ operam dant tales podagrici, vel *legitimum* Hæmorrhoidum fluxum experiuntur, tunc *paulo facilius* adspirante divina gratia à prædictis

malis

malis præſagiis immunes ſunt, quo *plus* vero *medicaminum* ingerunt, tanto *magis* è *diverſa* medendi methodo provenientium, eo citius *ſiniſtre* negotium decurrit: quando hæc podagra è genere vivendi exacte *pravo* & qualificato nata eſt, tunc eo *minor ſpes* impetrandæ liberationis & *reſtitutionis* facienda eſt.

§. VII.

Quando poſt hiſtoricam Podagræ juniorum commendationem nunc *cauſas* probatas, & genuinas recenſere debemus, quæ hanc *anticipationem* & *præmaturam* Podagræ invaſionem accerſunt, tunc omnium primo merito *hæreditariam* communicationem motuum ſpaſmodicorum in genere indicare debemus, ſicut *Sydenhamius in tract. de Podagra Opp. p. m. 465.* eloquitur: *neque pueros, neque juvenibus minores Podagra vera atque genuina vexatos hactenus obſervavi: nonnulli tamen mihi noti ſunt, qui priusquam eam ætatem attigiſſent, leviſſimam aliquam quaſi velitationem præſenſerant: quorum nempe Patres etiam tunc hoc morbo tenerentur, cum iis generandis operam darent: & Hollerius in comment. ad aphor. 30. Hipp. Sect. 6. dicit: vidimus natos tantum decem annos laboraſſe: tempore Hippocratis pueri non conflictabantur podagra ante uſum veneris: nunc vero conflictantur, fortaſſe quia contraxerunt morbum à parentibus; & Excell. Stahlius diſp. de Podagra p. 12.* profitetur: *hæreditaria diſpoſitio obtingit infantibus, quando à parentibus generantur, qui maxime iſto tempore, quo hos progignunt, ejusmodi affectibus laborant, qui plurimum in motibus ac intentionibus movendi, conſiſtunt: qui talium motuum, intentionum, impreſſionum, tacita memoria imbutus eſt infans, ille variis ſuccedentibus temporibus, varios podagricorum motuum prodromos ſentit, nempe perfrequentes & impetuoſas hæmorrhagias narium, dolores dentium, moleſtas ſenſationes in artubus, Spaſmum, Epilepſiam in prima pueritia, Eryſipelata &c.: mature & ſæpe tolerat & experitur. conf. Ejusdem Theoria medica vera p. 1389. 1392.*

porro

porro podagræ hæreditariæ in juvene 25. ann. mentionem facit vir laudatus in *disput* de *hæreditaria dispositione ad varios affectus* §. 45. alia exempla Podagræ hæreditariæ occurrunt in *Jerem. Lossii disp.* de *arthridite*, *Beyeri Philon. pharmaceut. lib.6. Schneideri tr. de Catarrhis p.658. 685. 686.* Quænam vero genuina ratio Podagræ per *hæreditatem* communicatæ sit, solide explicavit *Celeberr. D. D Stahlius in Pathol. med. p. 1389. seq.* paucis hoc loco indicamus, quod culpa non sit quærenda in *materia*, videlicet in communicato tali *seminio contagioso* materiali, quæ licet *trivialis* sit adsertio, tamen multis modis à vera ratione dissonat: ut ut enim *contagiosam* agnoscant & commemorent Podagram *A. N. C. dec. 1. an. 7. obs. 143. an. 10. obs. 44. Cent. 1. p. 192. in app.* tamen per parentis semen podagræ contagium communicari in embryonem & non in *conjugem* fœminam, proinde hoc contagium ex semine sese *seorsim* separare, (cum materia seminis ad formationem foetus *proxime non* pertineat,) porro idem contagium *tamdiu otiosum* delitescere in nato infante, donec denique affectus erumpat, theoria *extreme imaginaria* est, & nullo solido (si refugia & *asyla figmenti* & otiosi suppositi omittantur) nititur argumento: Nos paucis indicamus, quod per hanc hæreditatem communicentur *ideæ* specialibus *moliminibus hæmorrhagicis* & motibus *spasmodicis* cum *hæmorrhagiis* quadrantibus, respondentes & cohærentes, quæ in nato infante, quamprimum aliquo modo *corpus* ad congruam *firmitatem* transiit qua tales motuum species facile exerceri possunt, *præmaturo* quodam ausu applicantur; quare in ejusmodi subjectis *acceleratæ* & *immoderatæ*, irregulares tamen commotiones & *eluctationes* sanguinis occurrunt: seorsim vero in plurimis illis juvenilibus insultibus & cruciatibus podagricis adsunt *connata molimina hæmorrhoidalia*, ob eandem hæreditariam communicationem *præmature* & sa-

tis *confuse* sævientia; qui ipse *perversus* status in culpa est, quo minus *facile*, *legitime* & sufficienter hæmorrhoides erumpant & decurrant, unde tota hujus hæreditariæ Podagræ facies *inordinata* & turbulenta est, quæ & *excessivis* & *perversis* motuum processibus & decursibus nititur.

§. VIII.

Memori sane mente tenenda est hæc exquisite practica observatio, quod *juniores* Podagrici utplurimum tales *evagantes conatus, hæmorrhoidales* experiantur, ob id etiam *hypochondriacis* insultibus obnoxii sunt, sicut hoc malum *hypochondriacum* perinde cum motibus *hæmorrhoidalibus* consentire solet, *conf. Dispp. Illustris D. D. Stahlii de Vena Portæ Porta malorum, de Motu Hæmorrhoidum internarum, de Malo hypochondriaco-hysterico & meus tr. de Hæmorrhoidibus, Disp. de Hæmorrhoidibus Medicina hypochondriacorum:* exinde etiam facile liquet, cur *palindrome* & *retrocessio* Podagræ, utplurimum *illas* regiones & partes invadat, *in quibus hypochondriacum* malum tragœdiam suam ludere solet, sicut in præcedentibus ex *Baglivo* similem connexionem Podagræ cum morbis *intestinorum* produximus, quem consensum non satis solide *partium* aut *nervorum* consensui adscribere possumus, ni ex illo generis nervosi consensu aliquod *asylum* constituere malimus: neque quidem desunt inter medicos testimonia de *hæmorrhoidibus hæreditariis*, quarum mentionem faciunt, prælaudatus *Stahlius in Scriptis* allegatis, nec non *Rolfinkius in Epit. lib. 3. c. 21. Schenckius lib. 3. de hæmorrh. Solenander lib. 4. conf. 20. Hammerus in Viridar. Historiarum c. 6. p. 94. Ettmüllerus Part. 1. ubi de hæmorrh. agit. Scholiographus ad lib. 1. c. 55. Hollerii de morb. intern. Franckenau de hæmorrh. Beyer Philon. Pharmacevt. lib. 4. c. 29. app. 5.* quibus ipsis testimoniis ad minimum *in thesi* & paucis verbis *consensum Podagræ, Hæmorrhoidum* & *hypochondriaci* mali, tam in *simplici*

plici ſuo ſtatu quam ex *hæreditaria* qualitate provenientium & conſideratorum indicare lubuit: neque etiam deficiunt exempla, quibus de hac obſervatione *dubitantibus* ad *craſſiorem* ſenſum demonſtrare licet, quomodo in ejusmodi junioribus Podagricis *evidentiora* molimina *hæmorrhoidalia* ſe prodiderunt, dum vel *ante* Podagræ invaſionem, vel *ſub* illius *repetito* decurſu, modo *imperfectæ eruptiones ſanguinolentæ* hæmorrhoidales, modo *ſubordinatæ* & *vicariæ albicantes* mucilaginoſæ excretiones hæmorrhoidales, modo *protuberantiæ* in *locis* hæmorrhoidalibus, modo *ſerpiginoſæ* etiam effloreſcentiæ tum in *iisdem* locis, tum in *vicinia* occurrerunt, cujus demonſtrationis exacte *practicæ* varia ſpecimina in *caſibus* clinicis allegare poſſemus, ni *brevitatis* ſtudium nobis propoſitum ſit: cur vero non in *omnibus* junioribus podagricis *tale* quid eveniat, adeo *rigoroſe* poſtulari propterea non poteſt, quia motuum hæmorrhoidalium *evagationes multiplices* ſunt, ut pro *diverſitate individuorum*, morum, temperamentorum aliarumque concurrentium cauſarum, etiam *anomaliæ* hæmorrhoidales diſcrepent: *frigidum* vero erit argumentum, ex *illa* ratione podagricis talibus abnegare velle vel *connatam* vel *adſcititiam* & adventitiam *diſpoſitionem* ad negotium *hæmorrhoidale*, quia *proximiores* & *evidentiores* tales apparatus *hæmorrhoidales* non *ubique* eveniunt, ſiquidem illis, quibus ſepoſitis aliis *præjudiciis vera* indoles *Motuum* hæmorrhoidalium & hypochondriacorum perſpecta eſt, non modo *nulla* ſolida ratio *dubitandi* ſupereſt, ſed & ſolida potius ſuccurrunt & adſiſtunt *argumenta*, quibus *contrarias* opiniones facile evellere & *enervare* poſſunt.

§. IX.

Præterea ad hanc *præmaturam* Podagræ invaſionem efficaciſſime contribuit multifaria *intemperantia*, vel in *uno* individuo *concurſans*, vel frequentius *recurrens*: ubi tamen minime exiſtimandum eſt, quaſi ab illis cauſis, velut

per aliquam *vim* & *necessitatem* ad Podagram rapiantur, qui alias *nulla* ratione in eandem *inclinant*: sed, si etiam illa praecedens causa *hæreditariæ* communicationis *defecerit*, nihilominus ex ratione *temperamenti*, adeoque *morum* & *habitus* corporis, ut & ratione *diætæ*, *educationis*, *vitæ generis* &c. tales causæ concurrunt, quæ omnino ad prodagricam hanc invasionem *disponunt*: ita tales homines sunt animi *alacrioris* & in varia illius *pathemata*, maxime operosa & *impetuosa*, magis *proni*, subinde humorum *abundantia* evidenti pollent, dum ex diæta *plena* & *lauta* corpus magis magisque humoribus onerant & accumulant, insuper ex *diætæ* causis & *erroribus* frequentibus, *alvi* & *urinæ* alterationibus obnoxii deprehenduntur, non minus ex *spirituosorum* ingestione & immoderata *corporis* exercitatione variis *perversis* & *vagis* humorum commotionibus, *acrioris* seri generationibus & coacervationibus subjecti sunt, denique ex *libidinoso* animi affectu, *genitalium* partium frequenti irritamento, *indeque* conciliato copioso & immoderato *affluxu* humorum in *easdem* & *alias* ex lege *motus progressivi* sanguinis consentientes partes *irregularibus* illis connexis conatibus *excretoriis* ex *inferioribus* corporis regionibus expositi redduntur, cum quibus singulis causis illa *prænatura* Podagræ offensio & invasio connectit: *Seorsim* vero sciendum quod *intemperantia* in *Diæta* ad hanc *anticipationem* Podagræ eximie contribuat, quando homines *junioris* ætatis, *excitatioris* animi, *floridioris* habitus & *abundantioris* sanguinis ex ingestis *spirituosis* & *copiosis*, ex repetita *crapula*, impetuosis & confusis humorum *commotionibus* ansam præbent, ut futura *hæmorrhoidalis* destinatio *præmaturo* tali *irregulari* podagrico schemate irruat, dum præcipue sub priori *inordinata* diæta unà viæ *urinariæ* eximie *stimulantur*, sicuti huic considerationi pathologicæ lucem affundit doctrina de *consensu Podagræ*, *Hæmorrhoidum* & *calculi* e *tractatu D. D. Præsidis de Hæmorrhoidibus* concilianda: hinc

præ-

prædictus *Cliftonus Wintringha in tr. de Podagra* hanc *juniorum* Podagram *intemperantiæ* & *prœmaturæ* veneri adscribit: & cum illa *intemperantia* communiter in *comitatu* cum libidinosa & *incasta* vita consistat, ita ut secundum commune dicterium *Bachus* & *Venus* in uno individuo cooperentur, hinc *præmatura* & *immodica* veneris exercitatio omnino ad *præcipitatam* & *incongruam* hanc Podagram disponit, dum non modo in genere præsens sanguis *superfluus*, sub hoc *æstro* venereo *orgasticâ* inturgescentiâ valde commovetur, sed & sub hoc *impetu* in inferiores *genitales* & *consanguineas* alias partes invitatur, ut concurrens *conatus* sanguinem adeo *superfluum* & molestum *excretorius* tam in *præmatura* molimina *hæmorrhoidalia*, quam in *connexas* anomalias spasmodicas *hypochondriaco - nephritico - colico - ischiadico - podagricas* transeat. Præter has hactenus commemoratas causas multum denique contribuunt, concurrentes *affectus animi*, præcipue *iracundi*, qui *simplici* sua efficacia graves, *impetuosas* & simul *vagabundas* commotiones in fluidis & solidis corporis partibus excitant, proinde sub *commercio* reliquarum prædictarum causarum ad tales *præcipites anomalos* & præmaturos affectus *arthritico - podagricos* disponunt; Ubi adhuc reminisci lubet *illorum* ingestorum imprimis *potulentorum*, quæ de copioso *vaporoso* minusve *temperato sulphureo* principio participant, quo nomine vina *recentia* & certarum provinciarum similia potulenta vinosa designanda sunt, in quibus secundum *trivialem* opinionem medicam, magis *acidum* illud fixum & crudum *tartareum*, quod quidem *nullis orgasticis* commotionibus excitandis quadrat accusatur, licet contra de *talibus* vinis satis superque cognitum sit, quod *confusis* massæ sanguineæ *orgasmis* provocandis certius quadrent: ut ita *nulla solida* ratio affulgeat, qua in podagræ theoria *sal* aliquod inimicum pro *principali* causa

producere debeamus; id quod fusius demonstravit *D. D. Præses in Schediasmate de Podagra sine sale.*

§. X.

Dum itaque *Podagra* juniorum non modo tota *sua indole præcipitata*, *immoderata* & valde *vagabunda* est, sed & *subjecta*, quæ hac Podagra laborant, quoad *animum* valde *agilia*, *sensibilia* & *inquieta* existunt, ut & *causæ*, quæ hanc Podagram alliciunt, valde *efficaces*, *intricatæ*, *præcipites*, sonticæ & manifestæ sunt, ita sane ipsa hæc Podagra *minime securis* nititur fundamentis atque *successibus*, sed propter *ipsius juventutis* præsentis *impatientiam*, inquietudinem, *fugacitatem*, inconstantiam & vehementem reluctantiam *periculosis metaschematismis* subjecta est: Ob id non modo cum tali Podagra varii *alii* morbi, ordinariè *huc non* quadrantes, ut *Rheumatismi*, *Arthritides vagæ*, acres & *acutæ* Congestiones *imflammatoriæ* comminationes & *febriles* commotiones coincidunt, aut alii *perversi* spasmi, vel plane in *extremum* transeuntes motus *Convulsivi* concurrunt, aut cum eadem Podagra *confuse*, attamen immoderate *alternant*, sed & vel *sponte* vel ex levi interna *pathetica* causa, vel vitio in *regimine* & *diæta*, tanto magis vero ex *mala medicatione* evenit, ut hæc adeo *qualificata* Podagra *antiqua* loca facilè deserat & in alias, vel *remotas* vel *proximas* vel *internas* vel *externas*, tanto magis *nobiles* & *sensibiles* regiones & partes præcipiti & periculosa vehementia decumbat: quemadmodum etiam juniorum hominum actiones *turbatæ* facilius in alia *excedentia* motuum vitia degenerant, *ita affectus* ex hac Podagra, qualitercunque *offensa*, suborientes in *acutos*, vehementes & *præcipites* alios morbos, maxime *sanguineos*, delabuntur, quæ *prava* consectaria cum subjectorum *ætate*, *temperamento*, morbo *prægresso adventitiis* moribus *incontinentiæ* & impatientiæ nimiæ conspirant: sic etiam perquam notorium est, quomodo juniores Podagrici, *sub* hisce *cruciatibus* & doloribus *maxime inquieti*, quasi *furibundi*, extreme impatien-

tientes & perversissimis moribus instructi sunt, ut *ob hanc* pravam, reluctantem & *immorigeram* indolem, non modo *de præsenti* malum exasperetur, sed & *novis deterioribus* qualitatibus augeatur & ad *periculosiores* immutationes subeundas disponatur, siquidem *in hoc* etiam malo sese *consensus morum* cum *morbis* comprobat: & dum *junioribus* subjectis *acuti* morbi *familiariores* existunt, ita *spasmodici* affectus ex *tantis* causis geniti, non modo *per se* in *acutam* magis indolem inclinant, sed & *metamorphoses* ex ejusmodi affectu desultantes *eo magis acutæ* redduntur, quo non solum motuum *excessiva* vitia, sed & *floridior* & *turgidior* status corporis contribuunt: Et hæc argumenta ad *Pathologicam* præsentis observationis explicationem spectantia sufficiant.

§. XI.

Superest ut aliquas observationes *Practicas*, huic themati quadrantes, subnectamus; *Curam* quidem Podagræ hoc loco non promittimus, quæ vero in *juniorum* Podagra quoad medendi methodum annotanda sunt, brevibus indicabimus: *Quæcunque* itaque in *adultiorum* Podagra *omittenda* & fugienda sunt, illa *majori* sollicitudine etiam in *juniorum* Podagra evitare decet: Præcipue quidem omnia subjecta, quæ *internas* partes valde *stimulant*, quocunque demum modo & effectu alio connexo operentur, excludenda sunt, siquidem talem *stimulum* repente Podagra *sequitur* & *genuina* sua loca *deserendo* cum periculoso & funesto impetu *internas* partes invadit, adeo, ut intra *paucos* dies communiter eventus ille tristis *letiferæ* Podagræ *retrocessionis* excipiat: Tanto minus vero hæc sensibilis juniorum Podagra *experimenta* admittit, siquidem alia *probata* remedia nihilominus magna cum *circumspectione* & sub *exquisita* methodo applicare convenit: omnia remedia quæ secundum medicorum stylum *calida* vocantur, in hoc affectu seponantur, quoniam facilè non modo *præsentem* morbi statum *exacerbant*, sed & *complicationes febrilium*, *inflammatoriorum*,

rheumaticorum & acrius *congestoriorum* affectuum invitant; neque quidem *Opiata* & *efficacius* sedativa *secure* in hoc affectu ordinare licet, quoniam illorum usum, *confusissimi* & maxime *corrupti* affectus sequuntur, ad quorum censum etiam *paralytici*, *lethargici* & *apoplectici* morbi referri merentur, unde varia testantur observationum specimina, uti post *talium* remediorum oblationem *repentina* mors, consecuta fuit: Neque etiam sic dicta *refrigerantia* in hoc affectu locum inveniunt, quæ facile valde *suspectam* cum necessariarum *excretionum*, tum nobilium *viscerum obstructionem* periculosissimam causantur: Exulant subinde *adstringentia*: Excidunt etiam commendationem valde *emollientia* & quæcunque alia motuum vitalium *ordinem* facile *offendere* possunt: Tanto magis omnia *concentrata spirituosa*, *acria*, subtiliora *resinosa*, *sulphurea* in hoc affectu fugere convenit: Quæ omnia *motibus* præsentibus podagricis, qui jam *per se* in *excessum* proni sunt, *exasperandis* satisfaciunt. Quod vero *Topica* quæ vulgo in Podagræ cura collaudantur, attinet, tunc & illa in præsenti affectu, provide *seligenda* & commendanda sunt; præcipue quidem sciendum, quod *volatilia* & *sulphurata* non facile hisce *junioribus* ægrotantibus admitti debeant: Neque etiam *rubefacientia* hic locum inveniunt, quoniam acceleratam *inflammationem* causantur: Quidquod *camphorata* prudenter ordinare convenit, ne *repentina* discussione inopinatos pravos effectus, post se trahant: *Emplastica acriora* sensibilis juniorum cutis, quæ repentinis congestionibus subjecta est, ægre perfert: *ungvinosa* aliaque fortius *emollientia* suspectis humorum stasibus in pedibus ansam præbent: Quæcunque denique *sensibilius adstringunt* & facilius *repellunt*, sedulo seponere & omittere convenit.

§. XII.

Sed ne in nudis cautelis proponendis diutius hæreamus, paucis adhuc *positiva* decisione medico-*practica* aliqua

ſecura commendabimus auxilia, quæ in *præſenti* ſtatu adhiberi poſſunt; *interne* quidem temperata *Lenientia*, lacticinia, gelatinoſa, emulſiva, præmiſſis generalibus *præparantibus*, conducunt. Deinde ſic dicta *temperantia* & mitiora *diuretica* & *diaphoretica* adhibere licet è priorum claſſe, videlicet ſalina *tartariſata*, *Nitroſa* & alia ſolubiliora ſalia media, ubi non penitus ſpiritum nitri dulcem, aut acidum vitrioli dulcificatum rejicimus: habent præterea *temperatæ acidulæ*, aliquando plane cum lacte combinatæ, laudabilem utilitatem: *Selecta* ſedativa prædictis vel conjungenda vel interponenda ſunt; è quorum numero cinnabarim, extractum chaccarillæ & florum chamomillæ officinalium ſeorſim commendamus: Porro decocta & infuſa calida è ſpeciebus lenientibus & ſimul leniter diureticis & diaphoreticis parata, æque in hoc ſtatu proficiunt; Cavendum tamen eſt, ne valde *ſaturata* talia decocta propinemus: *Extrinſecus* vero magis *ſicca*, quam humida, admitti poſſunt, ubi ſpecies temperatæ *nervinæ* & *diſcutientes* commixtæ conducunt; inter illas vero flores Chamomillæ vulgaris, Sambuci, acaciarum, lavendulæ, ſtœchados arabicæ, ſpicæ, una cum aliis remixti, huc quadrant: *Camphoræ uſus modicus* æque commendari meretur: *Vegetabilia* in hac Podagra aliis palmam præripiunt: *Suffimigia* & *Fomenta vaporoſa* ex prædictis & aliis ſpeciebus, tam *lenientibus*, quam *reſolventibus* temperatis ſimilem laudem merentur: Providus uſus præſervatorius *Balneorum*, cum *temperatis* aquis *ſubterraneis*, *præparato* prius corpore, æque conducit; in *defectu* vero harum aquarum, *inſeſſus* ex vegetabilibus, ante nominatis, ſubſtitui poſſunt: ſubinde temperatus uſus *Balnei coriariorum* non penitus rejici poteſt, quod aliàs in Podagra & arthritide commendari ſolet, in *A. N. C. Dec. 1. anno 7. obſ. 229.* Quid quod uſus moderatus *vinaceorum*, quem alias *Borellus cent. 2. obſ. 42.* & *Güldenklee libr.*

V. epist. 7. laudant, in hac Podagra exoptatam suam efficaciam non derogat, omnium maxime vero hisce ægrotantibus temperata *diæta* suadenda est, uti illis insuper commendari licet solamen Caroli Quinti Gedult und ein wenig schreyen, sind die besten Artzeneyen. Huc quadrat quod *Petrarcha part. 2. Dialog. 84.* profert, *si salutem cupis aut pauper sis oportet, aut ut pauper vivas*, porro: *patientia in adversis efficacissimum atque optimum & sæpe unicum remedii genus est:* Proinde eleganter Podagræ curam per temperantiam describit *Rejes. l. c. no. 10.* quando enim ita afflicti juniores Podagrici *optima* ingerunt pharmaca & tamen *antiquum* vitæ genus continuant, tunc parum solaminis ipsis superest: Præcipue etiam in *potus* usu maxime *temperiei* studere debent, sicut *Borellus cent. IV. obs. 11. curam Podagræ per abstinentiam à potu* describit, quæ quidem haud ita promiscue pro imitatione seligi poterit: Præterea hæc temperantia sese præcipue ad *animum* extendit, ut lenitati, continentiæ, tranquillitati studere debeant tales Podagrici, & licet *Bartholinus cent. VI. histor. 28.* Podagricis *iram* utilem deprædicet, tamen raro multis hæc medicina utilis erit; rectius *animi delectatio*, temperata & *amica* conversatio hisce subjectis concedenda erit, sicut *Seneca Epistola 28* profitetur. *Nil æque ægrum reficit atque adjuvat quam amicorum affectus.* Hisce consiliis si juniores Podagrici obtemperaverint, Deo benedicente afflictionis suæ *securiorem* lenitionem & mitigationem impetrabunt. Et hæc placuit hac vice de *præsenti* themate brevibus disserere: Deo humillimas referentes gratias, quod huic proposito annuere voluerit; cui etiam hasce meditationes, ut illas perpetua sua benedictione comitetur, devotissime consecramus.

o